





11



D. CAR. FR. BAHRDTII  
OBSERVATIONES  
CRITICAE

CIRCA

LECTIONEM CODICVM MSS. HEBR.



M

1914. 1058

---

LIPSIAE  
APVD SOMMERVM  
1770.

Georg  
Mauritius  
Graffius

VIRO  
SUMME VENERANDO  
ATQVE DOCTISSIMO  
**BENJAMINO KENNICO**

SS. THEOLOGIAE DOCTORI,  
COLLEGII EXETRENSIS SOCIO ET VICARIO  
CULHAMENSI IN OXONIENSI CO-  
MITATV

MERITORVM AMPLITVDINE  
CELEBERRIMO.

S. P. D.

Autor.





*E*ruditio *TVA*, Vir vene-  
rande, quam ciues et-  
iam nostri admirantur, atque sum-  
ma illa industria, qua de Codice

Veteris Testamenti hadenus tam  
egregie meritus es, meum aduersus  
studium criticum amorem tam miri-  
fice confirmauit, vt animum meum  
negotiis academicis defatigatum  
non facilius recreare viresque la-  
befactatas nullae voluptatis iu-  
cundiore sensu reficere huc usq-  
ue potuerim, quam si ad Co-  
dicem meum recurrerem, remo-  
tisque rebus alienis omnibus, to-  
tum me in amoenum critica-  
rum

rum obseruationum campum dif-  
funderem. Noli itaque mirari,  
optime KENNICOTE! me,  
quem litteris TVIS, nuper ad  
me datis, amicitiae TVAE compo-  
tem fecisti, studiorum meorum speci-  
men eiusmodi TIBI offerre co-  
nari, quod diuitiis TVIS cri-  
ticis, tanquam laetae coenae,  
quam orbi eruditio paras, ve-  
lut exigua symbola apponi  
posse spero. TE enim potissi-  
mum,

---

rum, in hac mea causa iudicem  
mihi delegi, cuius sententia con-  
stet, utrum inuita Minerua, an  
felici successu Criticum agam.

— Vale Vir praestantissime, et me  
totum *TUVM* esse confide. Scri-  
bebam in Academia Erfordiensi Ca-  
lendis Iunii **cIɔΙɔCCLXX.**



# I.

## Descriptio Codicum

quorum lectio

ansam dedit obseruationibus deinceps  
proferendis.

---



unt duo in *Bibliotheca Lipsiensi*  
*Senatoria Codices hebraei* Ma-  
nuscripti vnuisque in *Academi-  
ca*, quibus nuper usus sum ita, ut non modo  
varias lectiones conquirerem, sed ut Palaeo-  
graphiae hebraicae rationes diligentius simul  
peruestigarem. Quales itaque fuerint isti co-  
dices, quorum priores Perillustris BORNII  
eximium in promouendis litteris studium et  
mirifica in me beniuolentia, mihi concefferat,

A tu,

tu, lector harum rerum perite! ante omnia  
accipe.

Primo quidem loco de *Codice Senato-*  
*rio* eo exponere animus est, qui numero  
*quinquagesimo primo* distinguitur. Est ve-  
ro is codex membranaceus, in folio maiori,  
lacer, ater, usque adeo tritus, ut imperi-  
to harum rerum aestimatori, antiquissimum  
esse videatur.

*Litterarum ductus crassus* est tamque  
rudis, ut instruētissima requiratur oculo-  
rum acies, si quis accurate hunc codicem  
conferre velit. Nam mira litterarum fere  
omnium cum similitudo, tum cohaerentia,  
legentis oculum facillime decipit, ut non  
miranda sit ingens hodiernorum Bibliorum  
corruptio, si antiquissimos libros, e quibus  
recentiora exemplaria promanarunt, ita  
scriptos fuisse doceri demonstrarique possit.  
Ceterum litterae minusculae, inuersae, su-  
pensae, nullae omnino in hoc Codice depre-  
henduntur: maiusculae raro et vix ter qua-  
terue. — Vniuersa vero scriptura tam ine-  
legans est, ut ne lineae quidem omnes ae-  
qualem ubique metu seruent: quapropter  
rationes, quibus alii scribae usi sunt ad ex-  
plenda linearum spatia, hic minus frequen-  
tes occurunt. Vna vero paulo insolentior  
mihi

mihi visa est, nempe cum tot fere ג appin-  
geret scriba, quot ad explendum spatium iuf-  
ficerent, hoc circiter modo: גגגגג

*Vocales et accentus post exsratum co-  
dicem addidit aliis, quod in hoc quidem li-  
bro potest demonstrari in iis locis, in qui-  
bus Consonae temporis iniuria fere perie-  
runt, vocales contra sub flauis consonarum  
vestigiis nigrae apparent atque distinctae:  
quodque adeo in omnibus fere codicibus  
supponi debere existimo, quia singulares  
fuerunt homines, נקְרָנִים dicti, quibus  
commisum erat puncta addere; qui etiam  
figuris et imaginibus codices exornarunt.  
Immo vero eos vituperare soleo, qui argu-  
mento, ex atramenti diuersitate aut aequali-  
tate du&to, nimium in hac re tribuunt. Nam  
facile accidit, vt consonarum et vocalium  
atramentum oculis similem colorem refer-  
re videatur, et tamen non sit eiusdem aeta-  
tis. Ceterum tanta est et tam felix in hoc  
Codice, vt et in altero Academico, vocali-  
um et accentuum a Bibliis impressis diuer-  
sitas, vt, eam deprehendens, saepe apud  
me dicarem: os grammatici nostri vocali-  
um collationes instituerent atque viderent,  
quam ineptae sint operosissimae illae regu-  
lae de mutatione punctorum, et quam tur-*

piter ingenia iuuenum nostrorum vexentur, cum longas et subtileas, de vocalium situ et anomaliis, disputationes audire et perdisce-re cogantur.

*Masora* nulla inest. Medium libri quidem notatum deprehendi, verum non nota masorethica. — In primis Deuteronomii capitibus, et in Threnis, parua oligoquies apparet. — Notae B. Ascher et B. Napht. nullae cernuntur, sed punctatio-nem veram semper in textu offendit. — Figurae et imagines cum *Masora* initiali et fi-nali omnino absunt.

*Continentur vero in hoc volumine*

i. PENTATEUCHUS, *scriptione con-tinua exaratus*, ita, ut inter singulos li-bros nullum spatiū intersit, nisi trium vel duarum linearum. *Columna* una pa-ginam replet. — *Tituli* librorum nulli per totum Codicem apparent, neque pri-mum libri verbum ultra lineam elatum vel litteris maioribus scriptum est. In-ter Pentateuchum reliquosque libros ali-qua folia intersunt. Deinde vero per-git continua scriptio, ita tamen, ut verba librorum sequentium initialia litteris pau-lo maioribus distinguantur. —

2. RVTH

2. RUTH — Sunt quatuor columnae superiores, cum totidem paruis inferioribus. Tres superiorum exhibent textum, quarta cum reliquis inferioribus commentaria Rabbinorum.

3. CANTICVM CANTICORVM — sequitur continuo. Sed placuit tamen scribae mutare columnas. Superiores scilicet tres sunt, quatuor inferiores. Superiorum vnam habet textus, reliquas Rabbini.

4. ECCLESIASTES sequitur in continua serie, et columnarum eodem genere et situ.

5. THRENI — Columnae tres sunt superiores totidemque inferiores. Duas superiorum extremas textus habet, medium cum inferioribus Rabbini.

6. ESTER — Columnae tres sunt superiores quae textum exhibent, et tres inferiores quae scholia Rabbinorum continent. Sed pars haec mutila est. Adebat pagina vna quae explicit in verbis versus duodecimi, capituli primi: וְחַמְתָּו בְּעֵרָה כוֹ.

Ceterum in Pentateucho addita est *paraphrasis chaldaica*, sic ut ea margines non modo

modo occupet, sed etiam in columnis inferioribus vna cum scholiis Rabbinorum atque aliquibus Haphtarim disposita iaceat.

*Lacunas* et defectus memorabiliores inueni tres. Ab initio deest caput primum et dimidium secundi Genesios. Neimpe incipit Codex verbis: — **הַיּוֹת אָדָם לְבָרוּ וְגֹן**. — Deinde Gen. 8, 21. desinit columna verbis: **מִנְעָרוֹ וְלֹא כָּל הָאָרֶץ** cap. 11, 8. — Denique Leu. 1, 5. desinit pagina verbis **בְּנֵי אֹהֶן** et alterum folium pergit **וַיַּקְרֵב וְגֹן** cap. 8, 24.

*Distinctiones* — cominatum, sunt ordinariae, capitum nullae. Attamen apparent istae sectiones, quas Magistri Iudeorum per **א** et **כ** notarunt, quaeque in hoc Codice modo *a linea* significantur, modo per spatium vnius vel duorum verborum.



*Codex alter Bibliothecae Senatoriae* distinguitur numero *sexagesimo primo*. Est etiam membranaceus, in folio minori, nitidus vsuque parum tritus. — Scriptura simplex, elegans et quadrata, ita, ut oculus litterarum similitudine (exceptis **ר** et **ב**, **ב** et **כ**) non facile decipiatur.

Com-

Complectitur autem hocce volumen  
particulas has:

1. PENTATEUCHVM, scriptio-  
ne continua exaratum. Spatium quatuor  
linearum quemuis librum Mosis ab alte-  
ro disiungit. Recentior manus titulis qui-  
dem piëtis, caeruleis et aureis, haec spa-  
tia expleuit, sed ita tamen, ut statim vi-  
deas, hos titulos a primo autore non esse.  
Nam v. c. Leuiticus incipit in media co-  
lumna, et linea ipsa eius prima incipit  
verbo יְקָרָא. In spatio vero illo quatuor  
linearum apparet denuo יְקָרָא litteris  
aureis piëtum, in basi caerulea, quae au-  
rea corona cingitur. Quod ostendit, il-  
lam picturam esse ab alia manu. Nam ubi  
idem scriba titulos ponit, ibi verbum ini-  
tiale, ex quo tituli constant, non repetitur  
in linea prima.

## 2. HAPHTAROTH.

3. MEGILLOTH sequuntur post  
Haphtaroth vna serie. Nec inter Haph-  
taras et librum Ruth, qui in eadem colu-  
mna incipit, spatium aliud quam octo li-  
nearum intercedit. Nec illud יְהִי littera  
initiali distinguitur: quamuis et hic  
piëtor, quem punctatorem puto, spatium

A 4

illud

illud octo linearum more suo expleuerit. Itaque Megilloth continua scriptio ne se excipiunt: nempe *Ruth*, *Canticum*, *Ecclesiastes*, *Threni*, *Esther*,

4. PSALMI in secunda pagina noui folii inchoant: simpliciter cum אָשְׁר יְהוָה, sine titulo, sine littera initiali, immo et sine figura picta, quam hic non potuit punctator applicare, quia in summa pagina liber incipit. — Sunt vero συγχεώσις scripti. Ut et

5. PROVERBIA Salomonis, quae Psalmos excipiunt in media columnā, quaeque ab iis disiunguntur non nisi spatio quatuor linearum.


וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר יְהוָה יְהוָה וְאַתָּה וְאַתָּה incipit συγχεώσις scribi.

6. HIOB. Qui a verbis וְאַתָּה וְאַתָּה incipit συγχεώσις scribi.

7. PARS HISTORIAE MACCAB. sequitur nouo folio, pergitque per tria folia.

*Majora* adest inter columnaris et major etiam, quae superne duas, infra tres lineas explet. — *Vocales* et *accentus*, ut *Masoram*, alias addidit. — *Distinctiones* longe plures quam alicubi reperi. Innumeræ fere sunt in Pentateucho. Non solum consuetae, quae

quae per **א** et **ב** notari solent, sed et aliae minores, mox a linea incipientes, mox verbi vnius duorumue spatio notatae. Saepe post tres quatuorue lineas iam denuo noua fit distinctio. — Columnae dueae sunt vbiuis, praeter libros σηχιώς scriptos, vbi per latam paginam versiculi scripti sunt. — Lineae in quavis columna sunt 33: litterae in linea circiter 2c. — Litterae maiusculae, minores, suspensae &c. rarissimae. — Deficiunt duo folia. Alterum a Ps. 74, 8. vsque 78, 26. Alterum Ps. 119, 101. — 105. — Ceterum vterque Codicum iam commemoratorum est ex Bibliotheca Wagenseilia, vnde olim transiit in Lipsiensem Senatoriam.



*Codicem* denique *Academicum*, qui מחר inscribitur, Illustris BELIVS, vir eruditio[n]is et humanitatis laude insignis, mihi beniuolentissime communicauit. Est vero formae maxima[re], et membranaceus. Volumina duo. Scriptura quadrata et litterarum altitudine splendissima, atque nihilominus decipiendo lectoris oculo aptissima. Vix enim נ ab נ, ט ab ט, כ ab כ, ו ab ו, י ab י distinguishing possunt. Litterae maiusculae et minuscule nullae cernuntur. Litterae vero אהוי largissime apparent.

A 5

Con-

Continentur vero in his praegrandibus Voluminibus orationes et cantiones Iudeorum, cum Haphtaris et Paraschis tantum non omnibus, et fragmentis librorum Megilloth. — Particulas itaque textuales hic enumemorabo, vt, si quis illa Volumina euolueret velit, hoc libello tanquam indice utatur. Sunt vero textus hi: Ex. 12, 21. seqq. Leu. 23, 1-44. Ex. 33, 12. vsque 34, 26. Num. 28, 19. f. Ex. 13, 17. vsque 15, 26. Deut. 14, 22. vsque 16, 16. Ex. 19, 1. vsque 20, 26. Num. 28, 26. f. Gen. 21, 1. vsque adverba **אראה במוֹת v. 16.** Sequitur particula cum hac inscriptione: **ארהיל לכתוב** **הפטורות של ומים נוראים שבחלדרם במעוניים** et in prima columna: iamque apparent 2 Reg. 12, 1-17. 1 Sam. 15, 2-32. Ez. 16, 16-35. Ez. 45, 18. vsque 46, 15. Ios. 5, 2. vsque 6, 1. 2 Reg. 23, 1-25. quo versu folium explicit, et incipit nouum folium duarum modo columnarum, vbi etiam maior et minus elegans litterarum ductus cernitur. Sed antequam sequentes textus commemo-ro, marginum praecedentium contenta enarrabo: nempe Ex. 30, 11. seq. Ex. 17, 8-15. Num. 19, 1-21. Ex. 12, 1-20. Iam pergo ad reliqua: Ez. 37, 1-14. 2 Sam. 22, 1-51. Es. 10, 32. vsque 12, 6. Desinit particula Codicis, quae est duarum Columnarum. Sequitur


quitur titulus pictus *Cantici canticorum*, circa quem scripta est Haphtara, quae superiorem sequitur, nempe Ez. 1, 1-28. Iam adsuta particula librorum *Megilloth*, tribus columnis et scriptione continua exarata; nempe *Canticum Canticorum* et *Ruth*. Sequitur folio seq. finis *Ecclesiastis*, ut videoas, hic tuisse quinque *Megilloth*, sed medium amissum et finem hic adsutum esse. Incipit fragmentum verbo **השׁקָד** c. 12, 5. fin. Sequuntur preces iudaicae et finem voluminis tenet *Canticum Habacuc* — Vol. II. non minus mutilum est. Incipit verbis **הכֹּחַן** vsque: **אֲשֶׁר יִמְשַׁח אֶת־וּגְנָוֶן**: **בְּטֻנָּה וּוֹעֵשׂ כְּאֶשְׁר** **צָהָה יְהוָה אֶת־מִשָּׁה**: Sequitur Leu. 18, 1-30. Num. 29, 35. f. Deut. 33, 1. vsque 34, 9. Gen. 1, 1-30. Ex. 17, 8-16. In marginibus apparent Leu. 22, 26. vsque 23, 44. Ex. 33, 12. vsque 34, 26. Sequitur particula vnius columnae 1 Sam. 1, 1. vsque 2, 10. Ier. 31, 2-20. Ez. 57, 14. vsque 58, 14. Ionas. Zach. 14, 1-19. 1 Reg. 8, 2-21. Ez. 38, 18. vsque 39, 16. 1 Reg. 8, 54. vsque 9, 5. Iam leguntur preces iudaicae postque eas abrupte obuenit particula τῶν *Megilloth*, cuius defectum supra Vol. I. notauimus, quae hic adsuta est, quaeque incipit verbis **שִׁיבְחָר** Ruth. 4, 15. et pergit ad Eccl. 1, 1. vsque 12, 12. ubi simul explicit Vol. II.

Ani-

Animanuerti in his Voluminibus correctiones triplicis generis. Primum quidem Codicem punctator cum Masorethico exemplari contulisse et emendasse videtur; is enim litteris hebraicis usus est. Alius postea, sed longe indoctior et nasutulus, litteris iudaico-germanicis, mox in textu alias lectiones superscripsit, mox in margine alleuit. Denique ipse scriba in quibusdam locis, animaduerso errore, scriptionem suam emendauit. Haec ad preium lectionibus et emendationibus statuendum, scitu necessaria esse, quis est quin videat?

Ceterum, ut in ipsis Codicibus *Senatoriis* exiguum et vix commemoratu dignum variantium lectionum numerum acquisiuiimus, ita hic *Academicus* largam segetem lectionum optimarum suppeditauit. Vnde istos Codices, et si quaedam adsint in utroque antiquitatis signa, tamen bonae notae non esse; hunc contra e vetusto et egregio exemplari descriptum esse concludo.





## I I.

De

Proliuitate erroris

in

Scriptura veteri hebraeorum.

**A**lli summam Iudeorum in describendo et conseruando Codice sacro veteris Testamenti curam et sollicitudinem, inuitum, pro integritate textus hodierni maforethici, argumentum esse dicunt, aut potius Buxtorfios ita statuentes superstitione sequuntur. — Alii, qui magis sapiunt, sed vsu proprio non edoeti, corruptelas in editis Bibliorum nostrorum libris varias quidem concedunt, sed id modo vrgent: se non videre, vnde tot vitia in textum irrepserint; id certe non sufficere, quod aliqui de similitudine litterarum hebraicarum dicant, scilicet eam esse tot vitiorum mendorumque fontem locupletissimum atque vberrimum; dari enim in aliis etiam linguis eundem mendorum

dorum fontem et tamen nullum librum tot corruptiones passum esse, quot Critici nostri textui hebraeo accidisse clamant. — Alii, qui hanc totam causam, inspectione et collatione librorum manuscriptorum, ipsi cognoscere cupiunt, artis praecepta desiderant, quibus instructi viam ignotam ingredi, quidque in Codicis alicuius lectione obseruandum, quid contra negligendum sit, videre possent.

Huic itaque triplici hominum generi hanc, de procliuitate erroris in scriptura veteri hebraeorum, commentatiunculam profuturam esse spero.

Iam enim breui et succincta oratione improvisam fontium copiam indicabo, ex quibus tot menda in libros hebraeorum manuscriptos irreperserunt. Qua quidem ratione simul viam methodumque monstrabo iis, qui, quid in codicum manuscriptorum lectione maxime attendendum sit, doceri cipiunt.

1. Et primo quidem loco non possum non illud proferre, quod alii omnes ante me iam protulerunt, nempe litterarum hebraicarum quam inuicem habent, similitudinem: quae etsi in aliis etiam linguis comprehen-

prehendatur, tanta tamen nullibi est, quanta  
 in hebraicis. Hoc vero maxime tenendum est,  
 quod multi eorum, qui de hoc primo errorum  
 fonte verba fecerunt, paucos forte, aut nul-  
 lum Codicem manuscriptum inspexisse, sed  
 plerumque ex hodierno alphabeto typogra-  
 phorum disputasse videantur, in quo fere nihil  
 deprehenditur, praeter **כ et ב, ר et ג, ה et נ,**  
**ג et ז, ו et ס &c.** quod aliquam similitu-  
 dinem prae se ferret. Hinc RAVIVS  
 Bataeus nuper HOVBIGANTIO ex  
 Codicibus MSS. exemplum aliud opposuit  
 in litteris **ה et ג**, quae in manuscriptis *pla-*  
*ne eodem modo* pingantur; atque hinc ar-  
 gumentum ipsum, a similitudine litterarum  
 petitiū, eludere conatus est, quaerens: cur  
 ne etiam hae litterae inter se permutatae  
 deprehenderentur in hodiernis Codicibus?  
 Cui quidem Rauio primum sic possem re-  
 spondere, esse omnino eiusmodi exempla,  
 quamvis ipsi nondum nota, nec a quopiam  
 retecta, qualia in editione mea Bibliorum  
 Criticorum Houbigantianorum, quam paro,  
 forsan ipse prolatus sum: deinde, etsi  
 nulla possent proferri, nihil tamen argu-  
 mentum illud detrimenti passurum esse.  
 Exempla enim omnia litterarum permuta-  
 tarum, quod Rauius obseruasse debebat,  
 eiusmodi sunt ut appareat, scribas litteras  
 simi-

similes non facile permutasse, nisi vbi ex altera lectione sensus qualisunque existeret: Iam vero Rauius percurrat Codicem, et videat: an possit το η in fine vocis, substituere pro η, et vice versa, ita, ut sensus in voce permaneat ullus? Tum vero intelliget causam, cur rara et fere nulla sint, permutati η cum η, exempla. — Interim tamen doctissimus Rauius iure suo hoc affirmauit, argumentum illud non peti debebere ex alphabeto typographorum, sed ex alphabeto scribarum. Quodsi vero feceris, argumenti illius vim mirum in modum augeri videbis. Nam in alphabetis manuscriptorum eiusmodi est litterarum ductus, ut in nulla lingua earum permutatio tam facilis fuerit, quam in hebraica. Nam non solum in iis similes sunt

1. ב et כ —

2. ר et ר —

3. ה et ח —

4. נ et ג —

5. ס et ס — sed etiam

6. פ et פ; nam; saepe sic pingitur  \*

7. נ et

<sup>43)</sup> Qui litterae ductus in Cod. Lipsiensi Senatorio N. 51. crebro occurrit.

7. **נ** et **נ** nam in Cod. MSS. **נ** pingitur omnino sic **נ**\*.

8. **שׁ** et **שׁ**, **עַ**, **עָ** et fere etiam **שׁ**. Nam **שׁ** pingitur sic **שׁ**, **עַ** vero sic **עָ**  
**נִ** sic **נִ**, et **נִ** sic **נִ**, **רְ** vero sic **רְ**  
**נִ** et **נִ** sic **נִ**. Iam compone has quatuor posteriores figuras **תֹּאֲוֵי**, **רְ**, **נִ** et **נִ** cum figura **שׁ** et vide, annon utrobi- que **שׁ** oriatur. Hinc in Cod. Lips.

Sen. N. 51. Cohelet 9, 5. verbum **שֶׁכֶר** corrector Codicis ita notauit, **שֶׁכֶר**, quo indicaret priorem partem **תֹּאֲוֵי** esse delendam, et solum **נִ** legi debere. Sed exempla ipsa alii loco sunt reseruanda. Porro similes sunt in libris scriptis :

#### 9. **שׁ** et

\* Idque praecipue in Cod. modo commemorato N. 51. deprehendimus et quidem sine exceptione.

B

9. יְבָנָה et בַּנָּה et בְּנָה, nam בְּנָה sic pingitur **בְּנָה**

10. זְמָן et זָמָן. Nam זְמָן finale et זָמָן eodem modo pingitur, **זְמָן**

11. רְגָד et גְּדָד. Nam גְּדָד saepissime superius dilatatum deprehenditur sic **גְּדָד**

12. פְּנָה et חְנָה. Nam פְּנָה saepe sic pingitur **פְּנָה** negligentius.

13. נְבוֹן et בְּנוֹן, בְּנוֹן et נְבוֹן. Nam pingitur, praesertim in Cod. 51. Lips. sic **נוֹן**

Hinc etiam in Cod. Acad. vidimus illud scribendi compendium s. Abbrevia-

turam **רוֹאכָר** pro &c. וַיֹּאמֶר

Quod vero harum litterarum simili-  
um nullae fere permutationes hactenus ob-  
seruatae sunt, id Tu, Lector erudit! non  
miraberis, si modo id cogites, Biblia hodi-  
erna impressa ex eodem fonte fere omnia pro-  
manasse, et singulas editiones non e manu-  
scriptis Codicibus petitas, sed alteram im-  
pressam ex altera impressa, fuisse exscri-  
ptam

ptam. Interim hoc patet, nullam linguam  
in litterarum ductu maiorem inuoluere ad  
errores procliuitatem, quam hebraicam.

2. Sed progredior ad alium mendorum  
fontem, qui est in more lineas explendi  
*verbo initiali lineae sequentis.* Accipe hu-  
ius rei specimen ex Codice 51. Leu. X. I.

וַיַּפְלֹעַל־בְּנֹהֶם: וַיָּקֹחַ בְּנֵי־אַהֲרֹן נְרָכָוֹא בָּם  
וְאַבְיוֹהָא אִישׁ מְחַתְּתוֹ וַיְתַנֵּנוּ בְּהַזְּאַשׁ וְיַשְׁיבָּה  
וַיַּשְׁׂוֹמֵד עַלְיהָ קְטֻרָה וַיְקִיבוּ לִפְנֵי יְהוָה אֱשָׁר

Sic vero solebant scribae fines linea-  
rum explere, vbi viderent, eas non posse  
verbo integro finiri, ne spatum vacuum  
superesset. Itaque supra in linea prima,  
cum non possit integrum scribi,  
scriba posuit litteras וְאַבְיוֹהָא; et in secunda,  
cum verbum non וְיַשְׁׂוֹמֵד possit integrum  
scribi, posuit litteras וְיַשְׁיבָּה, ut linea plena  
esset. Id vero scribae toties faciunt, quoties  
eadem causa redit, id est, in omnibus fere  
paginis et lineis, praesertim vbi columnae  
sunt tam angustae, ut saepius accidat, ut  
verbum sequens sit latius, quam quod inte-  
grum possit adscribi. Quis vero non videt,  
quanti errores ex hoc scribarum more ori-  
ri; quot verba textui vitiose inferri; quot  
corrupte scribi potuerint? praesertim cum

verbi sequentis initium, ne iisdem quidem litteris scripserint, sed quibuscumque visum fuerat: sicuti supra וַיִּשְׁבַּן scripserat, cum saltem וַיִּשְׁמַם scribere debuisset. Nempe quia ne מ quidem, quod sic ibi pingitur, תְּנֵס, integrum adscribi poterat, partem ejus priorem modo appinxit.

3. Tertium mendorum fontem deprehendes in alio lineas explendi modo, qui in eo est, ut verbi vltimi littera ultima a verbo suo separetur. Sic in Cod. 51. Ruth. 1. lineae apparent sequentes:

לְחָם יְהוֹרָה וַיָּכֹא ו. v. 2.

שְׁרוֹי־מִזְמֹאָב וְיְהוָה ו.

שְׁתִּים : וְיֻמְתָּה אֶלְמָלֵךְ v. 3.

אִישׁ נָעָמֵי וְהַשְּׁאָר

הִיא וְשָׁנֵי בְּנֵיהֶם :

Quot vero non litterae perire aut a verbis suis sejungi potuerunt, in tali scripturae genere?

Neque vero parciorem erroribus occasionem dedit ea consuetudo, qua lineas quibuscumque litteris explebant, sic v. c. in eodem Codice hae lineae cernuntur, Ruth 1, 8.

אמנה

אָמֹת וַיְעַשׂ יְהוָה תְּ  
עִמְכֶם חָסֵד כַּאֲשֶר

Ergo ¶ illud lineae prioris plane otiosum est, & a scriba ad explendam lineam usurpatum. Quis ergo mirabitur, si Critici & ¶ aliasque litteras saepe otiosas e libris editis expungi debere contendunt?

5. Sed jam tibi aperiam, Lector, amplissimum errorum campum, quem nescio an satis obseruarint Codicum collatores. Est ille in *Abbreuiaturis*, seu variis *scribendi compendiis*, ex quibus duo tantum genera potiora commemorabo. *Primum* est in litterarum ductu. Plerisque earum deprehendi in Codice Lips. Paulino, vbi v. c.

1 Sam. 15, 2. pro **לְשֻׁמוֹאֵל**. Sic v.

13. **שְׁמוֹאֵל** pro **שְׁמוֹאֵל**, item v. 22.

**שְׁמוֹאֵל**. Sic v. 18. **וַיָּפֹרֵךְ** pro

**וּשְׁרָאֵל** pro **וּשְׁרָאֵל**. Sic Ios. 5, 3.

aliaque multa — adeo, ut viri docti non debeat porro dubitare, Hebraeos etiam in exarandis Codicibus sacris scribendi compendiis

diis usus fuisse, iisque mendis vias aperuisse. — Hoc tamen ingenue fatendum est, me ejusmodi compendia non nisi in fine linearum inuenisse.

6. Sextus vero mendorum fons in *altero Abbreviaturarum* genere cernitur, quod est in *omissione litterarum*. Ego enim id saepius obseruaui in Cod. Lips. Sen. 51. & 65. maxime vero in Codice Acad. quod litterae vocum ultimae, in fine linearum, omissae essent, nulla alia de causa, quam ut ne lineae definitum spatium transcenderent. Sic בַּאמְנוֹן legitur in Cod. Acad. 2 Reg. 12, 16. pro בַּאמְנוֹנָה I חֶצֶא; חֶתֶאָה mox vers. 24. pro חֶתֶאָה; mox eodem versu, in fine lineae sequentis. רְמֻשָׁה pro וְאַשְׁתָּחוֹן Ez. 46, 1. וְאַיִף pro וְאַיִפָּה; המעשה pro וְאַיִפָּה mox v. 7. חֶנְשְׂוָא pro הַנְשִׁי mox v. 8. וְלַכְבֵּשׁ pro בְּתוּכָם; בְּתוּכָם pro בְּתוּכָם mox v. 11. וְמַנְחָה pro וְמַנְחָה mox v. 14. וְרַשְׁלִים pro יְרַשְׁלָם; האיפָּה Zach. 14, 12. & talia exempla in singulis paginis occurunt. Esse vero haec non vitia, sed scribendi compendia, id apparent primum ex multitudine exemplorum, & deinde etiam ex ipsa scriptione. Nam si vere ex errore scripsisset ille, scripsisset האיפָּה cum הַ finali.

Sed

Sed cum **הָאֵת** scriberet, tum se id consulo fecisse, id est in scribendi compendium, satis indicauit. Dubitasne autem, Lector! hunc Scribarum morem infinitam vitiorum copiam in Codices recentiores inferre potuisse, & probabiliter etiam intulisse? Quidni liceret v. c. suspicari, pauca ista exempla Grammaticorum, quibus tueruntur regulam: **v** pluralis numeri aliquoties deficit: siue Hebraei amant aliquoties terminacionem Syrorum in , ex solis ejusmodi scribendi compendiis orta esse? Et nonne torineptae Masoretarum obseruationes, quibus manifesta menda tueri conentur, eundem vel similem fontem habere vero simillimum est? Atque ejusmodi longe plura possem afferre, nisi huic libello limites certos constituisse.

7. Sed pergamus ad septimum mendorum fontem, qui est in superstitione quadam Iudaeorum, qua Codices omnes, in quibus quaeram effent omnino deleta, profanos judicabant. Dico omnino deleta: v. c. sic, vt nos, vbi aliquid peruerse scripsimus, calamo aliquoties transfixum expungimus. Hinc vero accedit, vt scribae, cum ex oscitantia errassent, litteras vel verba male scripta in textu relinquerent,

B 4

nec

nec vlo modo delerent \*), sed eadem aliter scribere pergerent, innumeris mendis transitum & iter pararent. Hujus vero pessimae consuetudinis, in omnibus fere paginis Codicium meorum, exempla deprehendi: v. c. in Cod. 51. Cant. 6, 10. video **כָּאוֹמָה**, quod sic ortum est: scriba oculo nimis cito in vocabulum sequens **כְּנֶרֶגְלֹתָה** inciderat, atque jam in eo erat, ut illud scribebat, cum jam litteram **כ** scribens, errorem animaduerteret, atque post **אַוּמָה**, **כ** scribere pergeret. Sic Coh. 3, 22. cernitur **מִ**, vbi voluerat **מִ** scribere, cum nondum **כִּי** scripsisset; itaque errorem, cum jam **כִּי** scriberet, animaduertens, ipsum illud **כִּי** stare sinebat, et **כִּי** scribere pergebat. Mox

c. 7.

\***)** Nolit mihi aliquis objicere, ejusmodi litteras, vel verba, in Codicibus plerisque lineolis mox transfixa, mox superne notata (sic **נִ**) mox clausa, mox alio modo a vera scriptura distincta cerni. Nam id fecerunt, non scribae, sed punctatores, qui plerumque etiam Codices non punctatos ad sui Codicis normam aliam corrigeant & emendabant. De quorum quidem, correctorum puta, rationibus, hodie a virorum doctorum nullo satis obseruatis & explicatis, infra plura differendi locus erit. Nunc quidem hoc obseruasse juuabit, ipsos scribas id non fecisse, sed ea, quae oscitanter scriperant, intacta in textu reliquisse.

c. 7, 12. apparet רעתהיהה, vbi scriba in eo fuerat, vt רעת החכמה quod jam scripsicerat oscitanter iterum scriberet; sed cum, jam scriptis litteris עerrorem errorem animaduerteret, eas intactas relinquebat atque verbum חוויה scribere pergebat. Sic Thren. I, 2. cernitur חוויה. Nempe scriba pro oseitanter scribebat הנו omisso, inter medio, &, animaduerso errore aliter scripsit, nempe הנו & litteras הנו semel scriptas, intactas reliquit, nec deleuit, nec tanquam spurias notauit. Sic in alio Codice, I Reg. 8, 14. exstat, ויסכ המלך את פניו את כל קהל וגוי vbi scriba, postquam scripsicerat, cito nimis ad sequentia delapsus, verbum ויסכ המלך את פניו scribere pergebat, verba, semel scripta, non deleta relinquens. Ejusmodi exempla centies occurrunt, adeo ut mirum non sit, tot confusiones, tot verba superflua, tot inutiles repetitiones, in libris hodiernis reperiri, calamoque Critici delente

& emendante indigere. \*) Vide Houbigantii Biblia Crit. ad 1 Reg. 8, 1.

8. Alius vero mendorum fons cernitur in more aliquo explendi lineas, quem supra commemorare debuisse, nimirum eo, quo ad initia linearum litteras otiose apponebant. Sic v. c. in Cod. 51. video has lineas

וְהוּא יָגִיד לְךָ אֶת (\*\* אַע  
וַאֲשֶׁר הַעֲשֵׂין  
וְתֹאמֶר אֲלֵיכָה כָּל

Deprehendo hic in linea secunda ante quod non vere legit scriba, nam id demonstrat linea prima, in cuius fine iam scribere

\*) Immo vero scribæ litteras, quas ex oscitantia scribere inceperant, dimidias saepe nobis reliquerunt. V. c. in Codice L. Paul. deprehendi vocem hanc רְטָמָא: nempe scriba voluit iam קְרָאוּ scribere, deinde, cum iam ר scripsisset, פ imperfectum reliquit, & טָמָא adscripsit atque sic alibi saepius.

\*\*) Obiter moneo, has litteras עַנ positas esse h. l. tanquam litteras initiales verbi primi lineae sequentis, nempe verbi אֲשֶׁר. Scripsit vero non עַנ, quia id lineae spatium residuum non permitteret, sed עַנ, nempe נ cum dimidia parte litterae ו. Sed de his rebus supra dictum est.

bere inceperat τὸ ἈΣΡ. Ergo videtur illud otiose posuisse, ut litterarum satis haberet, quibus linea expleretur: nisi dices, scribam oscitanter voluisse iterum γρ̄ scribere, &, scripta iam littera , errorem animaduertisse, atque ἈΣΡ scripsisse, littera ׁ sine deletionis signo relicta. Certe fatendum est, me in paucis Codicibus, quos haecenius inspicere licuit, plura eius rei exempla non deprehendisse.

10. Addo decimum mendorum fontem, nempe pruritum Iudeorum in expungendis litteris ἈΗΩΝ, qui quidem animos eorum peruersit, postquam signa punctorum voculum (Saeculo puta circiter IX vel X) essent inuenta. Verum de hac re Houbigantius & Kennicottus, viri meritorum amplitudine celeberrimi, tam fuse & docte exposuerunt, ut vel verbum addere, vix audeam.

II. Transeo ad aliud rerum genus; scilicet ad ipsa scribarum vitia, enarraturus eorum genera eo consilio, ut totidem fontium genera, ex quibus menda in libros hodier nos promanarunt, veluti ante oculos tuos, Lector harum rerum studiose! collocentur. Primum quidem frequentissimum est; scilicet factae in initiis columnarum repetitio-  
nes, verborum, in fine praecedentis colu-  
mnae

mnae iam descriptorum. Sic in Cod. Lips. Ac. El. 58, 14. in fine columnae scriptum lego, **על במוֹתָא אָרֶץ**, quae eadem verba in initio sequentis columnae sic repetuntur: **עַל בְּמִתְהֵא אָרֶץ** Eodem modo in Cod. 51. Ruth 1, 11. columnarum altera finitur verbis **לוּ בְנִים**, altera incipit verbis **תְּעוֹדָה לְיִ**. Et v. 22. columnarum altera finitur verbis **תְּשַׁבֵּגְנָעָםִ**, & altera iisdem incipit. Sic alibi saepius. Et vides, cui causae debeamus inutiles quasdam in libris hodiernis repetitiones.

Sed scribæ etiam peccarunt saepe in eo, ut integra membra, commata, & pericopas adeo, omitterent tum, *cum oculus ad verbum simile defleceret*. Exempla plus quam centena collegi. V. c. In Cod. Ac. Ex. 12. desunt commota 44 & 45. Neque in margine a Correctore rescripta cernuntur. Adeoque defuerunt in duobus Codicibus. Nam Codex emendatus habet autoritatem duorum. Sed utrumque librarium hoc loco decepit illud, quo finitur v. 43. & 45. Sic Ex. 19, 20. desunt verba: **וַיַּקְרָא יְהוָה לְמַשָּׁה אֶל־רָאשׁ הַחֲרֵב**; nempe oculus scribæ deceptus per duplex **הַחֲרֵב** quod bis in hoc versu legitur. — Num. 28, 28. desunt verba **לְפָרַח אַחֲרֵשָׁנִים עֲשָׂרָנִים** **עֲשָׂרָנִים** decepto. — Ez. 1, 21.

1, 21. deest comma integrum. Scriba enim  
 de eptus erat per duplex quo vers.  
 20 & 21. finitur. Sic in Cod. Sen. 51. Gen.  
**בתקום אשר רבר אהו** באנפנום quo  
**ווצב יעקב מצבח**. Scilicet scriba oculo de-  
 flexerat a v. 13. ad v. 14. Eo-  
 dem modo in Cod. Sen. 65. Leu. 27, 19. 20.  
 desunt verba **התקדיש אותו ויסוף המשיות**  
**כטה ערכך עליו וקם לו :** etiam la igal at  
 quia oculus ab v. 19. ad  
**את השרה** v. 20. deflexerat. Sic in eodem  
 Codice integer versus 30 capititis 28 Exodi  
 deest, quippe eodem modo, ut v. 29., de-  
 finebat in voce, **המייה**, quo oculus scribæ  
 fuerat deceptus. Est vero hoc genus erro-  
 rum in scribendo, libris Hebraeorum fere  
 proprium, quia nulla lingua tam simplex  
 est in repetendis vocabulis iisdem; praefer-  
 tis in libris historicis; maxime in dialogis.  
 Vnde in meis Codicibus praegrandem exem-  
 plorum copiam notaui, in quibus manifeste  
 appareat, scribam oculo à verbo simili ad  
 verbum simile oscitanter delapsum esse; &  
 hoc modo omissionis vitium commisisse. Et  
 quoniam verborum eorundem repetitio in  
 scriptis Mosis frequentissima est, quippe  
 quae perpetuis fere dialogis constant, vbi  
 loquens vel jubens eadem dicit, quae deinde  
 jussus siue narrans iisdem verbis repetit;  
 hinc

hinc facile judicare poteris, tot orationes, quas Pentateuchus Samaritanus habet, ex nostris libris hebraicis, per erroris genus supra commemoratum, facillime excidere potuisse; & vero longe similius esse, dicere, eas orationes in Codicibus Iudaicis dicto modo interisse, quam statuere, Samaritanos eas consulto interpolasse: cuius rei nullam profecto causam idoneam habuissent, quae singulari eorum in scripta Mosis reverentia superior fuisset.

13. Decimus tertius mendorum fons continetur in tertio errorum genere, quos scribas in Codicibus meis commisisse deprehendi, *additiones* puto & *repetitiones*, ortas ex *similitudine* verborum & litterarum. Exemplorum copia iterum infinita est. Modo *e prioribus* verba oscitanter scribæ repetierunt. V. c. in Cod. 51. Ex. 25, 2. legitur בְּנֵי אָישׁ מְאֹת כָּל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְבְנֵי אָישׁoscitanter repetitum est. Sic Leu. 19, 7. appareat haec scriptio וְאַם הָאכַל וְאַכְלַ בְּאָשׁ וְשָׁ מְאֹת כָּל בְּאָשׁ וְשָׁ בְּיּוֹם הַשְׁלׁוֹשִׁי וְבְאָשׁ וְשָׁרֶף. *e praecedenti commate, verba*

Mox

<sup>¶</sup> Ex quo genere sunt etiam illa verba Ps. 90, 17. וְוַעֲשֵׂת יְדוֹנוֹ: vide Houbigantium ad h. l.

Modo etiam e posterioribus quaedam transcripsérunt. Sic in eodem Codice Leu. 11, 44. lego haec: **התקרשותם קרויש כיותיותם**: ותהייתם כרשים כי קרויש אני iam scribere volebat, deceptus similitudine verbi **קדשי** & postremae partis verbi **והתקרשותם**. Atque eius repetitionum & additionum in hodier-nis libris innumerā exstant exempla, quae ex hoc errandi genere originem habent. V. c. 1 Reg. 8, 1. verba **אל מלך שלמה** manifeste ex versu secundo transcripta fuerunt in aliquo Codice, & inde in nostra Biblia irrepsérunt. Nam his omissis, sensus loci egregie quadrat. Similiter Gen. 1, 28. **אל יהוָה** post **לה** manifeste abundat, & procul dubio e membro praecedente repetitum est olim a scriba quodam. Hinc etiam in Codice Ac. illud alterum **אל יהוָה** non inueni. Sic etiam Gen. 1, 30. verba scriba quidam, aliud cogitando, ex praecedentibus huic forte transcripsit, & biblia hodierna uno mendo auxit.

14. Sic porro Scribæ peccarunt in eo, ut litteras otiose duplicarent, propter insignem plurimarum litterarum, quam inuicem ha-bent, similitudinem, quantam lingua hebraea cum aliis linguis vix communem ha-bet. Ex magno exemplorum numero, quae colle-

collegi, hoc vnum illustrationis causa adscribam, quod video extare Ier. 31, 14. in Cod. Ac. vbi pro **וְרוּתִיתִי** legitur, nempe scriba syllabam **תֵּי** oscitanter duplicauit. Sic alibi saepius. Atque sic vides tot litterarum in hodierno Codice hebraico otiose duplicatarum fontem vberimum.

15. Verum scribae non modo litteras, sed & *verba* *duplicarunt* oscitanter: quod genus bene multis posset confirmari exemplis. V. c. in Codice 51. Ex. 12, 2. bis scriptum legitur **רָאשׁ חֲרַשְׁת**. Num. 1, 9. bis apparet vox **אֶלְיָאָב**. Et sic in reliquis Codicibus passim. Ex quo genere possunt illustrari permulta emendationes, quibus Houbigantius in opere suo critico, tot verba superflua expungere, textuique puritatem reddere, tentauit.

16. Adde vero huic alium mendorum fontem, qui est in *transpositione*, quam toties commiserunt scribae illi, quos Buxtorfiorum aetas diligentiae laude tam immerito ornauerat. — Sic Leu. 23, 11. in Cod. Ac. legitur pro **יְנֻפְנָנוּ** Ier. 31, 18. Sic 1 Reg. 13, 16. legitur in Cantabrigiensi quodam Ms. **הַשִּׁיבְנִי** pro **הַשְׁכִּינִי** לא legitur in **אַחֲךָ וְלֹא אֶכְלָנָה** pro **אַחֲךָ אֶכְלָנָה**, & alibi multoties.

17. Sed

17. Sed reperiuntur etiam eiusmodi scribarum vitia, quae illi commiserunt *ex mera negligentia*, cum plane aliud cogitarent, aliud scriberent. Sic in Cod. 51. Bibliothecae Senatoriae Lips. vidi **לְבָנָן** pro **אֶבְרָהָם** scriptum Gen. 32, 1. vbi ergo Abrahamum in animo habuit scriba, non cogitans, quid scriberet. Mox in eodem Codice Leu. 21, 22. legitur **מִקְרָשֵׁי יְהוָה**. Hic, animo suo longe remotus a Codice suo et pagina sua, *sanguinarium Iouae* in mente habebat, dum aliud **יְהוָה** interpolaret. Sic in Codice Bibliothecae Acad. Lips. Num. 19, 22. haec legi: **הַרְכִּישׁ וּבְיוֹתָה** **הַרְכִּישׁ לְאַוְתָּה** **הַשְׁבִּישׁ** pro plane aliud cogitando descripsit. Et mox in eodem Codice Es. 12, 1. haec apparent **כִּי אֱנֹפֶת בְּיֹ**, **כִּי אֲנָחָה אֱנֹפֶת בְּיֹ**. Vides scribam tum in animo habuisse, **אֲנָחָה**, deinde, cum scripsisset tres litteras, **אֲנָחָה**, attentius paginam suam inspexisse, atque scribi debere intellexisse: itaque denuo **אֲנָחָה** incepsisse scribere et, cum nimis suum **אֱנֹפֶת** apposuisse. Ergone mireris, in tanta librariorum incuria accidisse, ut libri Hebraeorum manuscripti mendis interpolationibusque essent referti?

18. Decimus octauus mendorum fons prodit ex ipsis variis *lectionibus* earumque

C

con-

*confusione.* Evidem infra super hac re disputare constitui, atque docere, eos, qui secundam manum Codicibus manuscriptis admouerunt, non solum correxisse Codices, sed et glossas et varias lectiones in marginibus disposuisse. Nam hoc obseruasse iuuabit, istas varias lectiones in marginibus positas, saepe cum lectione textus, scribarum vel oscitantia vel imperitia, coaluisse, mendaque peperisse. Liceat vnum exemplum apponere, illustrationis causa. Eccl. II, 3. in uno Codice legi אַתָּה, in alio יְהֹוָה, et in alio יְהֹוָה sicuti in bibliis hodiernis impressis. Quis non mecum suspicetur, lectionem hodiernam יְהֹוָה ita ortam esse, ut aliquando scriba quidam inteniret נָהָר et in margine יְהֹוָה (nempe ex utroque sensu idem reddit) et ex utroque hodiernum נָהָר conflatum esse?

19. Sed non praetermittendum est nonum errorum genus quod librarii in scribendo commiserunt, quodque decimum nonum mendorum fontem aperuit, nimirum litterarum, verborum, versuumque omissiones EX MERA OSCITANTIA. Incredibile plane est, quanta exemplorum copia mihi iam ante oculos sit. Paucae sere paginae erant in meis Codicibus ab hoc vitiorum genere imunes

munes. Vbiue videbam modo litteram omissam (neque solas אהוי intelligo) modo verbum scribendo neglectum. Exscribam modo potiora loca ex uno Codice 51, et quidem ex uno libro Geneseos. C. 3, 2. deest ידו ante לכה. C. 5, 13. deest post שנה ארכישׁ. C. 6, 22. deest לשבת ושב inter deest. C. 18, 31. inter יעשׁו & עמרי בצעיר C. 20, 9. inter deest בקרבו Ibidem deest v. 9. בקע אברוח. C. 25, 7. post abest חיו אשר. Ib. v. 22. deest deeit שמתה. Ib. v. 30. deest ante מן האוד. Ib. v. 33. וולך post כיון deest. C. 26, 13. deest ante הלהך פלתיות. C. 30, 21. deest שטח. C. 39, 8. deest ante יש. C. 44, 17. post לְיַהְיָה deest. Ib. v. 25. deest ארץ אבינו. C. 45, 26. deest post בכל. — Quid ergo Tibi videtur Lector? Videnturne adhuc Tibi vincere posse ii, qui Iudaeorum in describendis Bibliis diligentiam et religionem, ita extulerunt, ut ea sola sufficere videretur, ad explodendos Criticorum nostrorum conatus? Porrone miraberis, Viros rei criticae peritos, verba passim omissa, vel e legibus critics coniecturalis, vel ex antiquis versionibus, vel e Manuscriptorum testimoniis restituenda esse, dicere et fere clamare?.

20. Sed proprio ad duo alia fontium genera, quorum prius respicit veterum illam consuetudinem, qua verba omnia continuo scribebant, exiguo vel nullo spatio inter singula verba relicto; hoc modo: **ברשותם ברא** pro, **אלחיך אלהים את־רשותם**. Et in hebraicis quidem libris hicce vigesimus mendorum fons eo vberior est, quo inconstantiores fuerunt scribæ in hoc more obseruando. Mox enim verba duo vel tria copularunt ita, ut vix punctator lineolam makkeph minutissimam inserere potuerit; mox inter singula verba spatia reliquerunt satis magna; mox etiam ipsa verba, exiguo spatio intermisso, seiunixerunt, et sic legenti largam errandi causam praebuerunt. Nec tamen omnes Codices MSS. eodem vitio laborant. Cod. Lips. Sen. 51. fere vbique exigua spatia seruat inter verba singula: et rara exempla continet talium locorum, in quibus vel verbum vnum male diuisum, vel verba plura male confusa deprehendantur. Contra locis eiusmodi scatet omnino Cod. 65. adeo ut a speciminibus proferendis merito abstineam.

21. Ethis addo coronidis loco mendorum  
fontem vigesimum primum: qui pertinet ad  
glossas marginales. Scio equidem viros do-  
tos

Etos plerosque nolle concedere, dari  
in Bibliis MSS. hebr. glossas eiusmodi. Sed  
tanta mihi est exemplorum copia, ut, et si  
in quibusdam errare et coniectando decipi  
potuisset, tamen in singulis id factum esse,  
verosimile non sit. *Glossam* vero dico al-  
terutram earum lectionum, quae vel in eodem  
Codice, (scilicet in textu altera, alte-  
ra in margine;) vel in diuersis Codicibus ita  
apparent, ut nullo modo videas, quomodo  
altera cum altera fuerit permutata aut per-  
mixta. Nam sunt, ut haec tenus vidimus,  
varii mendorum fontes. Mox enim libra-  
rii similitudine litterarum, mox verbo simili  
in quod inciderat oculos, mox alio modo in  
errorem indueti fuerunt. Vbi itaque nul-  
lus eiusmodi modus locum habuisse vide-  
tur, ibi lectionis varietas e Glossatorum ra-  
tionibus debet, ut ego quidem iudico, repe-  
ti. Et nunc instruam ante oculos tuos le-  
ctor videndo vero idonee! exemplorum  
aciem, contra eos, qui aliter sentiunt; ut  
iudicare possis, cui victoria competit. Sed  
vix scio, quo primum me vertam in tanta  
copia. Primum mihi in oculos incidit lo-  
cus Ruth 4, 10. vbi in nostris Bibliis legitur  
**מְחַלֵּן**: et in Cod. 51. saepe memorato legitur  
idem in textu, punctatum quidem sed dele-  
tum, et in margine iacet **הַמֵּת**, *mortuus*. Quis

C 3

non

non videt alterutrum esse glossam. Nam **המת** & **מחلون** nullam habent inter se similitudinem, adeo ut scribae potuissent has voces permutare. Mihi itaque sic videtur. **Lection** **המת** est genuina. Etenim non opus erat iterum nominare *Machlonem*, qui versu antecedente iam erat nominatus. Itaque suspicor, alium olim illustrationis causa ad illud **המת** in margine collocasse nomen **מחلون**; quod deinde in textum irrepsit. — Similiter in Cod. Acad. i Sam. 15, 27. leguntur haec: **ויהוק בכנפ** — **בגנו ויקרע** et in margine appareat **מעילו**: in nostris vero Bibliis exstat **מעילו**. Quid ergo? — Critici dicunt, inter duas lectiones, quoad sensum aequipollentes, praferendam esse difficultorem. Itaque **בגנו** dicerem esse lectionem genuinam. Nam **בגנו** comparative difficultius est. Notat enim *vestimentum* in genere: et quibusdam modo in locis de *veste superiore* i. e. de *pallio* legitur. V. c. Ps. 22, 19. **בגנו** distinguuntur a **לבוש**, vti apud Alexandrinos **ματις** et **χιτων**. coll. Ioh. 19, 23. **ελαβον τη ματια** — — **και του χιτωνα**. Quis itaque est, quin videat, interpretem quandam illud **בגנו** per **טשילו** explicare voluisse, glossamque suam in margine posuisse, nempe **מעילו**, quae deinde in textum irrepsit.

Nam

Nam haec ipsa Glossa in margine supradicti Codicis apparet. Et si quis ex me quaerat, vnde sciam, eum, qui in dicto Codice **כָּל־הָרֶץ אַת־** ad marginem collocauit, glossam voluisse propagare, et non potius emendationem indicare; ei respondeo, me id scire ex rationibus Correctorum, quas Critici nondum satis obseruarunt, quasque ego alio loco, membro III. huius libelli, proferre et explicare conabor. Nempe usus me docuit, Correctores alio signo vti, vbi lectionis emendationem indicant, alio vero tum, cum glossam lectioni posthabendam significant, quod nimirum faciunt ita, ut lectionem textus punctis quidem non afficiant, sed tamen nec calamo simul transfigant, (quod faciunt, vbi contrarium indicant) et ad marginem veram lectionem collocent. — Porro: Deut. 34. in nostris Bibliis leguntur haec: **וַיֹּאמֶר יְהוָה אֲתָּה כָּל־הָרֶץ אַת־גָּלְעָד עַד־דָּן**. In Codice vero Ac. abest **אַת־כָּל־הָרֶץ** et, ut ego quidem judico, recte. Nam quis fere ista verba desiderabit in hoc orationis nexu: Ostendit Ioua Moysi Gilead usque ad Dan: cum uniuersa Naphthali: nec non Ephraim et Manasse: (vno verbo) **וּנְעוּרָתִים וְיַהֲמָן** qua pergit ad mare posterius. Unde vero, dicens, profecta sunt verba ista,

B 4

**אַת־**

את — כל — הארץ? Haec, ut mihi vide-  
tur, aliquis explicationis causa apposuit ad  
verba — גַּלְעָר עֶד — דָן, quippe quae  
inuoluebant *uniuersam Iudeam*. *Dan* enim  
et *Gilead* ponuntur a scriptoribus sacris pro-  
finibus Iudeae. Itaque si quis dicebat, *a Gilead ad Dan*, is idem dicebat ac: *uniuersam Iudeam*, i. e. *אֶת־כָּל־אָרֶץ*. Sic  
in eodem Codice Leu. 18, 19. legitur  
*וְאֶל* — *אִשָּׁה בְּטָמֵאת* — *אִשָּׁה בְּנֹרוֹת* — *טָמֵאת*  
*וְאֶל* — *אִשָּׁה בְּנֹרוֹת* — *טָמֵאת*; vbi iure prope meo  
suspicor *בְּנֹרוֹת* tanquam glossam, e margi-  
ne, in textum irrepisse recentius. — Si-  
militer in eodem Codice Ios. 5, 6. legitur:  
*הַגּוֹי הַרוֹר אֲנָשִׁי*, vbi alterutrum, *הַרוֹר* aut  
*הַגּוֹי*, e glossa est. — Notabilis locus mihi  
occurrit in eodem loco v. 10. vbi lego:  
*וַיַּעֲשֵׂו* — *הַפְּסָח בְּרָאשׁוֹן בָּאַרְכָּעָה עַשְׂרֵה יוֹם*.  
Vocabulum *glossam esse posse*, quis  
est quin intelligat? — Aliud exemplum  
vidi Ez. 36, 33. in eodem Codice, vbi in tex-  
tu est, *טָמֹאותיכם*, in Bibliis vero impres-  
